DE SEPTEM CONTRA THEBAS EXITU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IV M. MARTII A. MDCCCLXXXXI
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

JOHANNES KOENIGSBECK
BRUNSBERGENSIS.

ADVERRSARII ERUNT:
R. KAISER, DR. PHIL.
C. BUERGER, DR. PHIL.
M. KOENIGSBECK, CAND. RER. ING.

DANZIG 1891.
A. MUELLER VORMALS WEDEL'S HOFBUCHDRUCKEREI.

MARIANNAE BLUEMEL

AMITAE OPTIME DE ME MERITAE

SACRUM.

Viris doctis Septem contra Thebas fabulae Aeschyleae operam navantibus duae potissimum res quaerendae occurrerunt, altera de connexu inter hanc aliasque intercedente et trilogiam, quam vocant, efficiente, altera de exitu fabulae, ab Aeschylo ipso profecto an postea a nescio quo adsuto. Atque altera quidem de trilogia quaestio, cum alii alio modo de illa disceptaverint, tam dilucide enucleata tamque perfecte absoluta est, ut non sit, qui contra dicere audeat. Franz enim didascaliam in codice Mediceo a nullo usque ad illum diem observatam invenit publicique iuris fecit anno 1848 („Die Didaskalie zu Aeschylos Septem c. Thebas; Prooem. indic. lect. Berol. 1848/49 p. 5"): *ἐδιδάχθη [τὸ δρᾶμα] ἐπὶ Θεαγενίδου ὀλυμπιάδι οη* (Ol. 78,1 = 467), *ἐνίκα Λαΐῳ, Οἰδίποδι, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Σφιγγὶ σατυρικῇ. κ. τ. λ.*[1]) Restabat igitur altera illa quaestio, de exitu fabulae traditae, ex parte quidem cohaerens cum labore a viris doctis de trilogia disputantibus frustra consumpto. Quam ob rem hac ab dissertatione alienum non esse puto, si a sententiis illis, quae cum didascalia lateret, prolatae sint, afferendis et recensendis proficiscamur. Nam cum Septem contra Thebas toti trilogiae finem imposuisse usque ad id tempus nemo non ignoraret, ob ultimam fabulae illius scenam ipsam hoc ullo modo fieri posse, suis quisque argumentis usus negabat mediamque trilogiae alicuius tragoediam Septem esse summa fiducia profitebatur.

---

1) Ita iam Siebelis de Persis 1794 p. 24: Oedipus, Laius, Septem, si cum Carolo Kruse (de Aeschyli Oedipodea Sundiae 1856 p. 10 adnot. 15) credimus priorum fabularum locos calami errore mutatos esse.

Atque ille quidem, quem in omnibus his quaestionibus in Graecorum tragoediis versantibus primum laudare recte consuevimus, F. G. Welcker (die aeschylische Trilog. Prometheus etc. Darmstadt 1824 p. 365) exitu tragoediae aliam fabulam secutam esse comprobari dicit, nam: „der Vorsatz der Antigone den Polynices zu beerdigen ist mit so bestimmtem stolzem Pflichtgefühle gegen Verbot und Rat des Stadtheroldes ausgesprochen, dass man die Erfüllung, die Darstellung der That, verlangt, um so mehr als der Streit der Schwestern durch die Teilung des Chors dieser Handlung noch mehr Gewicht giebt" et idem in „Nachtrag zu der Schrift über die aesch. Tril. Frankfurt a/M. 1826; neque illo quidem loco disertis verbis, sed ita tamen ut elicere cui vis libeat, illum non sic disputaturum fuisse, nisi animum induxisset, Septem c. Th. tragoedia alia exceptam esse. Jam G. Hermann quoque, cum antea in dissertatione de compositione tetralog. tragic. (1819) Laium, Oedipum, Septem c. Th. fuisse trilogiam recte statuisset, retractata illa quaestione sententiam nonnullis annis post mutavit. Neque enim illum, quo erat ingenii acumine, fugit hanc ipsius adornationem, quamvis rectam illam fuisse nunc constet, tum temporis ob exitum fabulae Septem c. Th. retineri non posse; qui non tam nodi explicatio, si ita dicere licet, vocari potest, quam novae implicationis initium. Novarum enim rerum movetur exspectatio, quibus quod in extrema scena inchoatum est, consummetur. Quam ob rem in diss. ed. anno 1835 de Aesch. trilogiis Theb. (Opuscul. VII 193 sqq.), Septem c. Theb. fabula prorsus a Laio et Oedipode seiuncta trilogiam statuit cum Stanley viro docto (cfr. Schuetzii Aeschyli edit. vol. V p. 7). Laium, Sphingem, Oedipoda, ita tamen, ut de Sphinge dubitans (et recte

quidem, id quod didascalia probat) p. 196 dicat: Non negaverim tamen, si Sphinx dematur, quam tragoediam fuisse haud satis certum puto, potuisse ultima trilogiae tragoedia obitum contineri Oedipi, similiter ut in Oedipo Coloneo Sophoclis." Septem autem c. Th. mediam trilogiae fabulam fuisse ponit, ab Argivis exordientis, acquiescentis in Eleusiniis. Verbo modo commemoro ceteros, qui S. c. Th. mediam trilogiae fabulam fuisse putant, aliis alio loco tragoediis assumptis, J. G. Droysen (Aeschylus übersetzt von J. G. Dr. p. 337 sqq. 475 sqq.), qui Phoenissas, Septem, Epigonos statuit; Otfr. Müller (Litteraturgesch. II p. 89) Oedipum, Septem, Eleusinios proponentem, Gruppe (Ariadne p. 52) Bernhardy (Griech. Litteraturgesch. II 766). E. A. J. Ahrens (Aeschyli fragmenta p. 221). Schoell (Beiträge zur Kenntnis der trag. Poesie der Gr. p. 534) de quorum sententiis, cum ea in re quam disserendam proposuimus, nullius sint momenti, non est, quod uberius dicamus. Klausen vero (Theologumena Aeschyli tragici Berol. 1829) cum, quo nihil perversius statui potest, tragoediam extantem duabus ex partibus conglutinatam putaret, altera usque ad v. 639 pertinente, altera, in eventu fatorum generis Labdacidarum versante, tertiam fabulam de fatis Antigonae et Oedipodis morte egisse, primam in Argivorum rebus versatam esse sibi persuasit. Quem recte refutavit Kruse l. l. p. 13; eodem loco, quo etiam Bode, viri docti, insequentem tragoediam desiderantis, sententiam (Hellenische Dichtkunst III 293) reicit.

Rectius autem quodam modo de exitu illo ante eos Süvern [2]) sensit, qui in l. l. p. 134 rebus quae usque

---

[2]) quamquam ipse quoque Sept. c. Th. mediam trilogiae alicuius fabulam putavit. (Übersetz. der Sieben. Anhang p. 135—139.)

ad v. 1004 actae essent in fabula expositis iam optime hoc loco tragoediam subsistere potuisse dicit. Sed placuisse poetae, ait, praeconem aliquem a senatu missum in scenam inducere, qui Polynicem sepeliri vetaret, cum Antigona contra forti animo profiteretur non se oboedituram. Qua re peccatum esse in artem tragicam recte dicit p. 139: „Wenigstens endigen die letzten Worte ἰώ, ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον so schön das Drama; der Klang der Wehmut und Traurigkeit hallt von ihnen so dumpf und düster im Gemüte des Lesers wieder, dass es einem weh thut plötzlich in dieser Empfindung so unangenehm unterbrochen zu werden, die so schön zum Sujet des Stückes passt.“ Hoc enim fine adnexo dubitamus, ait, iterum de fratrum sorte neque de illorum modo, sed etiam de Antigonae, quae quid actura, quid passura sit, animo suspensi volutamus et quam maxime videre aut audire avemus. Excusat igitur Aeschylum Süvern; quod utinam ne fecisset; perperam enim et inconsiderate illa in re agit. Dicit enim p. 139 l. l.: Wenn man fragt, wie wohl Ae. dazu gekommen sein möchte, dieses Stück anzuhängen, so scheint es mir am wahrscheinlichsten, die letzten Verse der vorigen Scene haben ihn verleitet. Dort wird nämlich (V. 1004, auch 916) das Begräbnis der Brüder erwähnt, und Antigone sagt: an ihres Vaters Seite, in der väterlichen Gruft müssen sie ruhen. Jetzt glaubte vielleicht der Dichter, seine Mitbürger würden hier etwas vermissen, da sie nämlich wohl wussten, dass es ganz anders gekommen sei; so lässt er also den Herold auftreten und dem Polyneikes das Begräbnis untersagen.“

Quam ad argumentationem recte Schneidewin (Philol. III 362) hoc quoque loco perverse rationem habitam esse Sophocleae fabulae adnotat. Neque omnino

negari potest, quia nimis respiciebant res in Sophoclea fabula gestas, viros doctos multa, multa in hac Aeschyli tragoedia iudicanda et interpretanda peccasse.

Res vero ipsa, quam demonstrare et excusare Süvern conatus est, exitum fabulae cum antecedente parte non concinere et laedere quodam modo hominum spectantium aut legentium animos, nullo modo redargui potest; immo etiam illud concedendum est, finem ne ab ipso quidem Aeschylo profectum esse; modo ne talibus nitaris argumentis, qualibus ille usus est.

Miram vero rem excogitavit Schöll, qui cum primum quidem (cfr. pag. 7.) finem, qualem nunc legimus vere Aeschyleum esse et ad aliam tragoediam transitum effecisse putasset, eisdem in rebus versantem, quae in Antigona Sophoclea tractantur, postea abiecta hac sententia hoc sibi persuasit, atque sibi soli, ni fallor, in Allg. Litter. Ztg. No. 193. 194 p. 398: duplicem fuisse huius fabulae formam, alteram tali exitu comparatam, ut ultimam effecerit Oedipodeae trilogiae tragoediam, alteram ita instructam, ut alterius trilogiae, Epigonicae, si ita eam appellare licet, aut prima aut media fabula fuerit. Nobis hanc alteram fabulae formam superesse. Iam ut prima forma restituatur, nulla alia medicina opus esse, quam ut ultimum episodium deleatur. Quo facto ad totius trilogiae circuitum fabulam illam quam maxime quadrare. Quamquam igitur homo ille doctus idem facit, quod nos unum rectum esse demonstrare iam conabimur, tamen causam, qua commotus est totamque eius ratiocinationem quam maxime reiciemus et recte dictum esse meminerimus illud: „si duo faciunt idem, non est idem“. Qui enim credi potest tam tardo parumque volubili animo Aeschylum fuisse ut eandem tragoediam quasi cramben repetitam duabus in trilogiis adhi-

beret, eaque ita uteretur, ut in theatris parietibus versatilibus et huic et illi fabulae aptis utuntur; qui credi potest spectantes tales quisquilias talemque miseriam quieto animo tulisse nec reiecisse impudentiam talem, qualem ne his quidem temporibus, quibus multa permittunt et condonant spectantes, ullus poeta committere audet? Cui denique illud non mirum videbitur, quod illa ipsa forma, quam Aeschylus Epigonorum trilogiae adaptasse dicitur, cum trilogia illa deperdita non una periit, sed conservata miro quodam casu in Oedipodeam trilogiam repsit ibique se insinuavit, quamquam Oedipodeam decurtata illa fabula usam esse exitu Schöll animum inducit, nisi forte insignem ea in re fortunae benignitatem conspiciet? Recte igitur tali de conatu Kruse l. l. p. 71 dicit: „Haec saltem debetur Aeschylo ab omnibus vel maiorum gentium philologis reverentia, ut ad poetam respiciant cognituri artem eius temporis tragicam neve quasi hanc penitus et aliunde perceptam habeant, despiciant, eiusque magistri evadere conentur".

Restat, ut ex huius generis virorum sententiis, ne quid omisisse videar, verbo commemorem, quod Naeke statuit, qui de trilogia Oedipodea recte, nec tamen, si dicere licet, recte sensit, quamquam ipse quoque ad satis artificiosam neque omnino mihi probatam explicationem recurrere debuit, ne exitus fabulae a tali adornatione abhorreret. Protulit hanc eius sententiam, schedis modo antea mandatam et in scholis pervulgatam, anno 1872 demum Fr. Ritschl (Rhein. Mus. 27, 193). Nititur autem duabus maxime causis, quarum alteri libenter totoque ex animo applaudo, alteram ita probo, ut tamen a Naekio magnopere dissentiam. Id enim rectissime dicit versus 827 sq. (Dindorf. ed. 5.):

ἢ τοὺς μογεροὺς καὶ δυςδαίμονας
ἀτέκνους[3]) κλαύσω πολεμάρχους;

insequentem aliquam tragoediam, velut Epigonos aut aliam eiusdem argumenti prorsus excludere; si enim expressis verbis Aeschylus pronuntiavit ἀτέκνους[3]) i. e. liberis nullis procreatis fratres mortuos esse, quo modo fieri potuit, ut insequente in tragoedia filii tamen in scenam prodirent? At altera in causa, quam affert l. l. p. 203 exitu fabulae non postulari, ut de facinore et sorte Antigonae latius in adnexa aliqua tragoedia exponatur, recedendum mihi esse ab eo confiteor. Hac enim parte addita fieri non potuit, ut trilogia confecta et absoluta haberetur; immo nova exspectanda erat fabula. Alia autem ex parte hoc episodio sublato profecto cum Naeke viro docto dici posse, non iam exigi, ut alia sequatur fabula, sed omnia recte ad finem perducta esse postea videbimus.

Sed mittamus iam hos, quibus gravi vitio nequaquam vertendum videtur, quod verum nondum viderunt et transeamus ad illos, qui etiam didascalia inventa non dubitaverunt hunc Septem c. Th. fabulae finem ab Aeschylo profectum esse contendere eumque omni modo non excusaverunt modo, sed etiam summis laudibus extulerunt. Erant ante omnes Schneidewin et Kruse, qui cum multa recte de universa trilogia Oedipodea statuerint, hac in re verum sensisse non videntur.

Id autem, quod hi viri docti statuerunt, ita examinemus et ponderemus, ut simul quae nos adducunt, ut ab iis recedamus finemque non ab Aeschylo profectum putemus, uno quasi conspectu complectentes proponamus.

---

[3]) ubi mera omnia, quae contra eorum opinionem pugnare videntur coniecturis tentandi et mutandi libidine inducti, nonnulli homines hypercritici Aeschylo δυστέκνους vindicare non verebantur.

Atque in primis meditemur illud, quod exitus illius ab Aeschylo abiudicandi gravissima causa mihi videtur esse, hoc fine adiecto totum consilium, quod Aeschylus hac trilogia exsequendum sibi sumpserat, misere turbari et tolli.

Si enim verum est, quod omnibus, qui post didascaliam inventam hac de fabula egerunt, persuasum est, quodque et Schneidewin et Kruse disertis verbis declarant trilogiam sortem Labdacidarum complexam esse, Laii, Oedipi, Eteoclis et Polynicis, diris fatis et exsecrationibus perniciei et leto devotorum:

(Schneidewin Philol. vol. III p. 364:

„Die Erfüllung des Familienfluches der Labdakiden war Ziel der Trilogie,“

et Kruse l. l. p. 70:

„Fraterna caedes trilogicae ideae finis est“)

hoc si verum est, tali consilio finis ille quam maxime repugnat.

Proponamus autem, ut quomodo consilium illud Aeschylus ad finem perduci voluerit, accuratius cognoscamus, brevem rerum in Septem c. Thebas fabula gestarum conspectum:

Eteocles populum ad aedem regiam confluentem admonet, ut omnes officia sua exsequantur: Tiresiam enim vaticinatum esse maiorem aliquem in ipsam urbem impetum hostes moliri; speculator, quem miserat, redit, nuntians, septem duces iure iurando se obstrinxisse se aut victuros aut morituros esse sortirique, quam quisque portam aggressurus sit; admonet regem, ut quae urbi conveniant, prospiciat; abit, accuratius quae facta sint in hostium castris spectaturus. Eteocles deos imprecatus ipse quoque in aedes regias recedit. Chorus Thebanarum virginum prodit, querentium de periculis

imminentibus deosque anxio et perturbato animo imprecantium. Quarum miserabiles fletus interrumpit Eteocles vehementer iis maledicens, quia gemitu et lamentationibus timorem et ignaviam civium moveant, gravemque poenam iis minatus. Excusant timorem saepiusque ab Eteocle admonitae, ne patriam querelis perdant, denique iubentur una cum eo deos imprecari, ut malum ab urbe avertant. Quo facto Eteocles abit, adornaturus, quo modo portae contra hostium impetum defendendae sint, et duces in singulis portis hostibus resistentes electurus. Chorus ne dii sinant urbem interire precatur, dira illa mala depingens, quae urbis expugnationem sequantur. Iam audimus sermonem illum clarissimum nuntii et Eteoclis, in quo nuntius, qui Argivorum duces singulas portas aggressuri sint, quo sint animo, quomodo armati, exponit; Eteocles, quos illis opponere animum induxerit, respondet. Actio ut semper fere apud Aeschylum in media fabulae parte non procedit.[4]) Denique septimam portam nuntius narrat Polynicem aggrediendam sortitum esse, prae se ferentem se illius terrae regnum tenere debere et aut una cum fratre pugnantem cadere aut illum e regno eicere velle, ulciscentem eadem contumelia iniurias sibi factas. Eteocles summo dolore corripitur, cum audiat sibi contra fratrem ipsum pugnandum esse, patrisque diras exsecrationes et somnia paulo antea sibi obversantia iam re vera eventura esse sperat; iam fato se subtrahere non audet, neque tamen iustam

---

[4]) cfr. Welcker Trilogie p. 10. „In der Mittelscene steht in der Regel bei Aeschylus die Handlung still; eine neue, zuweilen ihr selbst nicht unmittelbar angehörende Person tritt auf, und indem die That von ihrer Folge getrennt, die Erwartung des Ausgangs hingehalten wird, erhält zugleich die Betrachtung der Hauptsache selbst neuen Stoff".

esse Polynicis causam fretus, spe aliqua incitatus, certamen subire non dubitat. Chorus, patris exsecrationum memor, avertere eum ab hoc consilio conatur:

ἀνδροῖν (δ') ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ αὐτοκτόνος
οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος.

Eteocles autem repetit, se illa in re, quod frater eam portam sortitus sit, quam sibi defendendam ipse sumpserit, fatum agnoscere inevitabile et persuasum sibi esse genus Laii iam totum interiturum esse; neque Erinyn iam prohiberi posse dicit sacris factis v. 702:

θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα

simul breviter admonens somniorum illorum, quibus regnum patris a filiis cruento modo dividendum esse perceperat. Brevi colloquio cum choro, qui frustra retinere eum conatur, facto, ad pugnam proficiscitur; chorus iam carmen effundit timoris summi quam maxime plenum, praesagiens implacabilia generis Labdacidarum facinora iam totius stirpis exstinctione placatum iri; recedens usque ad Laii culpam, fontem et caput totius culpae. Iam factum esse, quod chorus modo timuerat, nuntius affertur. Hostis victus, urbs liberata, sed totum Laii genus radicitus exstirpatum est alterna hostilium fratrum caede. Chorus luget interitum fratrum et generis; accedunt sorores Antigona et Ismena, quam maxime contristatae et profligatae, quibuscum chorus *θρῆνον* facit ita exeuntem, ut sorores constituant fratres in regio sepulcro prope patrem condere.

Quo modo cum actio iam ad finem perducta esse videatur, praeco supervenit, qui nuntiat senatum populumque Thebanorum decrevisse Eteoclem quidem, patriae strenuum et fortem defensorem, sepeliendum, Polynicem autem, qui patriam nefarie aggredi non veritus sit, canibus proiciendum esse. Quod ut fiat, se permissuram

negat Antigona, confessa, se, si omnes deterreantur populi iussu, etiam solam Polynicem sepeliendum curaturam esse. Praeconi iam admonenti ne populi imperio resistere audeat, non contingit, ut a consilio illam avertat; ita ut iratus ille discedat, gravia illa verba pronuntians:

ἀλλ' αὐτόβουλος ἴσθ', ἀπεννέπω δ' ἐγώ.

Iam chorus dubitans quid faciendum sit, in duas partes se dividit, quarum altera populi iussis non oboediens Antigonae se applicat, ut Polynici funus comparetur eiusque corpus prosequantur, altera, cum Ismena ad Eteoclem sepulcro condendum proficiscitur.

Diras igitur imprecationes Oedipi re vera evenisse filiisque mortuis scelera generis placata esse cum Aeschylum hac tragoedia exponere voluisse statuerimus, omnia in[5]) hac fabula usque ad v. 1004 ita instituta videntur, ut nihil aliud, quam hoc ipsum respiciatur. Videmus enim usque ad illum versum explanatum et quomodo praeparatus sit exsecrationum eventus ille et quomodo illae ipsae evaserint mutua fratrum caede; neque *θρῆνον* et Graecorum consuetudini et Aeschyli

---

[5]) F. Hüttemann, qui quid senserit de Oedipodea (die Poesie der Ödipussage 1. Teil Progr. d. Lyc. in Strassburg 1880) paulo post fusius explicandum erit, omnino non intellexisse videtur, quod consilium Aeschylus in Sept. c. Th. fabula persecutus sit, quod comprobant haec eius verba: „die Versöhnung trat erst dadurch ein, dass Eteokles sich freiwillig dem alten Fluch für die Stadt opferte, und dass auch andrerseits Antigone, menschlicher Drohung trotzend, durch den Edelmut der Schwesterliebe sühnte, was unnatürlicher Frevel und Bruderhass in dem Geschlechte verbrochen.“ vel p. 41 l. l. „Von rein menschlichem Standpunkt aus betrachtet könnte man ja den Widerstreit zwischen wildem Mannestrotz und sanfter Frauenmilde als das treibende Element unserer Tragödie erkennen; dann aber läge das Versöhnende des Schlusses gerade in der sicheren Aussicht auf den endlichen Triumph jener über diesen.“

tragoediarum usui respondentem adiectum esse mirabimur. Iam nihil aliud desideratur et ad finem perducta esse videtur trilogia. Videas autem, qua vi Aeschylus indicaverit, nihil aliud sibi propositum fuisse, quam fratribus exstinctis demonstrare totum genus Laii interiisse sceleraque expiata esse, daemonem fugisse; *ἀτέκνους* enim facit fratres, (quod iam antea p. 11 monuimus) et totum genus exstinctum esse dicit v. 690:

ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν
Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος.

et v. 895 (quem recte explicat Roehleke in libri: „Septem adv. Thebas et Prometheum vinctum esse fabulas post Aeschylum correctas. Diss. inaug. 8. Berolini 1882 pag. 24):

διανταίαν λέγεις πλαγὰν δόμοισι καὶ σώμασιν.

et v. 953, ubi est:

τελευταῖαι δ' ἐπηλάλαξαν
Ἀραὶ τὸν ὀξὺν νόμον.
τετραμμένου παντρόπῳ φυγᾷ γένους.

Quocum optime concinit neque unquam Polynicem generum Adrasti appellari et Eteoclem genus feminarum quam maxime sibi invisum esse confiteri v. 187 sq: ita ut assentiendum sit Schneidewino versum 901

μενεῖ κτέανά τ' ἐπιγόνοις

per ironiam dictum esse interpretanti; ubi Roehlekii mutatione prolata p. 24:

μενεῖ κτέανά τ' ἐπιγόνους

omnino non opus est.

At iam turbat hunc contextum et hoc poetae consilium scena illa ultima; nam cum ante hanc scenam perlectam nihil aliud nobis persuadere possimus, quam fratribus exstinctis Laii genus poenas solvisse daemonemque, qui

genus illud obtinuit, fugisse (quod et chorus dicit v. 960:

δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων),

hac scena novas in turbas et dubitationes vocamur; nonne enim suspensi erimus et dubii de fato Antigonae, civitatis legibus resistere ausae, nonne suspensi de Polynicis humatione, de qua antea non erat dubitandum? Nam et nuntius ille, qui fratres alterna caede peremptos narravit, et chorus, sorores denique ipsae, Antigona et Ismena, fratres una sepultum iri putant et dicunt; qua de re si forsitan dubitaverit quispiam, conferat velim v. 818:

ἕξουσι δ' ἣν λάβωσιν ἐν ταφῇ χθόνα[6]);

(etiam in v. 863 vestigia deprehendere mihi videor chorum putare eodem modo, quo θρῆνος etiam sepulcrum commune fore fratribus:

ἀλλὰ γὰρ ἥκουσ' αἵδ' ἐπὶ πρᾶγος
πικρὸν Ἀντιγόνη τ' ἠδ' Ἰσμήνη
θρῆνον ἀδελφοῖν.)

[6]) Qua in re parum considerate agit Roehleke p. 26 l. l. dicens: „Et primum de nuntio est dicendum, qui fratrum necem pronuntiat. Namque possumus sperare eum, qui sit e Thebanorum numero nobis de civium in fratres animis quid esse dicturum; illius verbis huiusmodi poeta aptissime potuit significare praeconem quendam Polynicis corpus sepeliri esse vetiturum. Etiam Welckerus, quamquam scenam ab ipso Aeschylo compositam esse censet, tamen vituperavit poetam, quod illud non fecisset (Kl. Schrft. T. II, p. 141)."

Contra quod animadvertendum est nuntium illum ab ipsa porta venire, ubi certamen fratrum factum est neque, cum ipse modo nuntium afferat fratrum caesorum, quidquam iam scire potuisse, quod Thebanorum senatus de corporibus eorum fieri statuisset. Iam ne ipse quidem senatus eo temporis puncto certi aliquid de corporibus eorum, quos tum modo necatos esse cognoverat, constituisse potuit. Ea igitur in re neque Aeschylus vituperandus erat, neque ille, qui extremam scenam addidit.

v. 1002 sq:

Ἀντ. ἰώ, ποῦ σφε θήσομεν χθονός;
Ἰσμ. ἰώ, ὅπου τιμιώτατον.
Ἀντ. ἰώ, πῆμα πάρ πάρευνον.

Ita autem suspensos fieri spectantes in fine tragoediae, ubi omni exspectationi satis factum esse putandum est, denuoque timorem et angorem incerti et dubii eventus moveri, tragicae arti non satis aptum vocari potest.

Quod cum intellegerent et Schneidewin et Kruse, ea in re maxime operam collocaverunt, ut demonstrarent, non oriri in spectantium animis talem incerti et periculosi eventus timorem.

Et Schneidewin quidem hunc fabulae exitum in Philol. vol. III, p. 362 sqq. defensurus ab his verbis incipit:

„Da wir jetzt sicher sind, dass die Sieben das Endstück der Oedipodie sind, so werden wir uns bescheiden müssen, Aeschylus Kunst noch nicht ausgelernt zu haben. Mir scheint der Schluss in der That befriedigend zu sein."

Hoc cum dicit modestior esse videtur, quam par est. Ego enim etiamsi gravissimis constaret testimoniis ab ipso Aeschylo profectam esse hanc extremam scenam, non dicerem nos artem Aeschyli nondum plane cognosse, sed artem Aeschyli non talem fuisse, qualem semper eam admirabamur. Sed videamus, quae affert: Corpora duorum fratrum una proposita demonstrare exsecrationes illas a patre in filiorum capita demissas evenisse; pacem turbari, cum vetetur Polynicis quoque corpus sepulcro condi. Sed fratres morte placatos esse et iam chorum in hemichoria divisum consociatum cum sororibus abire,[7])

[7]) p. 363. „Die in Halbchöre geteilten Choreuten gesellen sich den Schwestern, deren Auftreten und verschiedener Charakter

ut urbis iussorum minime ratione habita, utrumque fratem sepeliant. Eo autem ipso, quod abeant ita, ut diserte profiteantur, non se, quae urbs iusserit, curare, neque tamen vi prohibeantur aut minis modo praeconis terreantur, iam probari, ius fasque vicisse contra iniusta hominum imperia. Novas igitur implicationes hac scena non praeparari.

Talem ratiocinationem veram esse nullo modo concedere possum. Id quidem non potest negari, chorum abeuntem minis et vi in scena ipsa non impediri; sed quae antea praeco, quae Antigona, quae chorus dixit, nonne ita comparata sunt haec omnia, ut necessario nos cogant putare summa pericula subituras esse et chori virgines et Antigonam ipsam, si urbis imperiis non oboediverint? Talia igitur, qualia exspectamus, quamquam in scena ipsa non fiant, tamen postea facta esse animum inducemus. Videas, ut hoc recte disputatum cognoscas, versum 1028 sq:

ἐγώ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ
θάψασ' ἀδελφὸν τὸν ἐμόν,

et versum 1033 sq:

τοιγὰρ θέλουσ' ἄκοντι κοινώνει κακῶν,
ψυχή, θανόντι ζῶσα συγγόνῳ φρενί.

(de quibus recte disputavit Roehleke p. 23 l. l.); videas v. 1044, ubi praeco monet:

τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά,

et v. 1053:

ἀλλ' αὐτόβουλος ἴσθ', ἀπεννέπω δ' ἐγώ,

ubi in verbo illo *ἀπεννέπω* quod postremum pronuntiat

sicher durch das Mittelstück vorbereitet war.“ In media trilogiae fabula sorores quoque partes egisse persuadere mihi non possum. Sed cum ad hoc quod propositum est, haec quaestio non attineat, invitus causas, quibus id comprobari posse puto, afferre omitto.

praeco, gravissima inesse videtur repetitio senatus imperii, tecte quasi indicans non levem fore poenam peccati.

Videas etiam v. 1060, ubi chori dux, cum deliberet num prosequatur Polynicis corpus, dicit:

ἀλλὰ φοβοῦμαι κἀποτρέπομαι
δεῖμα πολιτῶν.

Et verba hemichorii v. 1066 edita talia mihi videntur, qualia aliquis profert, qui bene conscius periculorum, quae subit, tamen non dubitat ea facere, quae sibi proposuit:

δράτω τι πόλις ἢ μὴ δράτω
τοὺς κλάοντας Πολυνείκη.

His ex locis omnibus quam maxime elucere mihi videtur Antigonam fratrem sepulcro condituram summa pericula subire, summamque igitur exspectationem rerum futurarum exeunte tragoedia in animis nostris excitari.

Latius defensionem, quam profert, Kruse repetit l. l. p. 68 sqq. Proficiscitur ab illo, quod iam Jacobs ad hunc tragoediae finem monuerat, quanti fuerit Graecis mortuos rite sepeliri. Hoc autem loco, cum vetetur Polynices sepeliri, Aeschylum hoc debuisse religionis et pietatis rationi dicit, ut quae abhorrerent ab illa, inconciliata esse ne pateretur. Itaque necesse esse, ut spectatores cognoscant post tot tantasque poenas iram deorum placatam, scelera prorsus expiata esse. In hac fabula post caedem fraternam Alastorem recessisse; tum cavendum fuisse, ne quid de novis etiam poenis iraque caedi susperstite timeretur. Ostendendum igitur fuisse discordiam fratrum caede piatam piatosque extremo sepulturae munere honoratos Tartara adiisse.[8])

[8]) Nonne haec a tali fere disputata videntur, qui finem illum resecandum esse omnibus viribus ac nervis contendat? cfr. hac de re quae pag. 23 disputata sunt.

Namque quod in Thebanorum consilio hominum ira durare videatur, non nisi per momentum illam existere docere versus 1066 sq.: *δράτω τι πόλις καὶ μή, δράτω τοὺς κλαίοντας Πολυνείκη, καὶ πόλις ἄλλως ἄλλοτ' ἐπαινεῖ τὰ δίκαια*, atque illud inter legem humanam Thebanorum, qua vetaretur Polynices sepeliri, illamque divinam, qua soror fratri piacula solvere iuberetur, discrimen nil profecto fecisse ad trilogiam, dum modo nobis persuaderetur, fratres pie sepultos esse. Negat autem ad novas personas et res spectantium animos commoveri et ab ipsius fabulae argumento detrahi, neque certiores nos fieri dicit, utrum Antigona, cuius vicem timere iamiam coeperimus, patraverit consilium an minus, his potissimum causis commotus: „Teneamus talem esse scenae indolem, ut non Antigone primariam quasi partem agat, sed ad fratrum cadavera insepulta omnia spectent. Neque nova implicatio, ut aiunt, scenae inest; non enim supplicium, ut apud Sophoclem, imminet illis, qui Polynicem sepulturi sint, neque quidquam ad prohibendum funus instituitur. Immo cum Antigona professa sit, se nullo modo deterritum iri, quominus pietatis officia patret, praeco quasi tecte illius consilium probans his utitur verbis dum abit:

ἀλλ' αὐτόβουλος ἴσθ', ἀπεννέπω δ' ἐγώ, indicans se nuntiato civium iussu suffecisse officio suo, cetera nil ad se spectare. Atque chori pars, quae Antigonam secutura est, animo revolvit modo hoc modo illud civitati placere. Neque omittendum hoc est, quod cum bipartito agmine abeat chorus, priores illae discedunt, quae cum Polynice sepeliendo abeant; itaque cum nobis persuaserimus hunc quoque almae telluri redditum iri, altera chori pars cum Ismena funus regis ministratura abit et in Thebarum laude fabula subsistit“.

Proficiscar in huius viri docti sententia redarguenda ab illo, quod dicit: extremam scenae indolem talem esse, ut non Antigona primariam quasi partem agat, sed ad fratrum cadavera insepulta omnia spectent. Hoc enim mea quidem sententia falsum est. Atque illud concedo, nos de Polynicis quoque cadavere timere, sed non minus etiam de Antigonae sorte, nam falso contendi novam implicationem in tali scena non inesse, iam antea docuimus pag. 14 sqq. Neque quae affert Kruse, ab hac sententia me avertunt. Quod enim dicit, nihil fieri ad prohibendum funus, ea de re aliter sentio; an credemus praeconem a senatu missum, cum tam graviter et obstinate contra senatus iussa dici audisset, nihil facturum fuisse? Mihi quidem maxime consentaneum videtur, illum, quae Antigona dixerit, ad senatum retulisse, senatum autem instituisse, quae opus erant ad funus impediendum Antigonamque puniendam. Omnino autem de praecone illo falso iudicare videtur Kruse, cum dicit: „praeco, quasi tecte illius consilium probans, his utitur verbis, dum abit: *ἀλλ' αὐτόβουλος ἴσθ', ἀπεννέπω δ' ἐγώ*, indicans se nuntiato civium iussu sufficisse officio suo, cetera nil ad se spectare." Nam in verbis illis (cfr. pag. 19) quibus gravissime repetit, se vetare Antigonam fratris corpus sepelire, quibus monet illam, se omnia, quae ex *αὐτο-βουλίᾳ* illa evadant, sua ipsius culpa sibi conflasse, profecto nihil investigare possum, ex quo appareat illum tecte Antigonae consilium probare; immo persuasum mihi esse ex illis verbis, eum non iam officio suo sufficisse putasse, sed ad senatum rediisse, relaturum, quid factum sit, iam paulo antea dixi. Iam quod contendit, chorum quoque sibi persuadere, modo hoc modo illud civitati placere, ita ut de periculo gravi a civibus imminente non cogitandum sit, videas quam debile et infirmum

argumentum sit. Chorus enim cum e feminis constet, quid veri similius est, quam solatium aliquod eum quaerere, cum in eo sit, ut contra gravem populi legem peccet? Ceteri illi loci, quos attuli pag. 19 sq., hoc loco minime labefactantur neque redarguitur summum subiisse Antigonam periculum eamque iam ob rem in extrema illa scena omnium animos ad se deflectere primasque partes agere videri.

Deinde, quod id quoque animadvertamus necesse esse dicit, priores illas discedere, quae Polynicem prosequuntur, ita ut verisimilius etiam fiat, illum telluri brevi redditum iri, altera autem pars cum regis corpus comitetur, fabulam in Thebarum laude subsistere, ne hac quidem in re Aeschyli artem admiror, sed illum, qui hanc scenam addidit, cognosco. Ille enim, sapientior sibi visus, quam Aeschylus, cum in eius fabulae fine non modo id, quod Sophocles copiosa tragoedia exposuit, desideraret, sed aptum etiam ad Thebanorum fata spectantem exitum, illum quoque ita addere studuit, ut regis corpus comitantes simul de urbis salute dicerent; quod ab idea fabulae, quae expiationem sceleris Labdacidarum continet, quam maxime recedit.

Consulto autem huc usque praetermisi, quae initio disputationis suae Kruse dixerat, ita comparata, ut optime ad nostram sententiam stabiliendam adhiberi possint. Quod enim dicit apud Graecos plurimum valuisse iustum funus, necesseque esse spectatores cognoscere post tot tantasque poenas iram deorum placatam, scelera prorsus expiata esse, ego toto animo ei applaudo idque unum miror, quod non vidit, quanta arte et sollertia id unum Aeschylus facere studuerit et re vera effecerit, cum fabulam usque ad v. 1004 modo produceret. Nam illa, quae sequuntur misere turbare

talem de ira deorum placata sceleribusque expiatis sententiam, nunc antecedentibus iam quam maxime ostendisse mihi videor. Non igitur est omnino discrimen inter humanas leges et divinum illud, quod ius fasque appellamus, sed utrumque optime concinit praetermissa illa scena.

Atque eadem fere, quae contra Krusium, contra Waldeyerum dicenda sunt, qui in dissert. de Aeschyli Oedipodea (Progr. v. Neuss. a. 1863 p. 8.) ab eadem, qua Jakobs et Kruse (cfr. p. 19 sqq.) ratione proficiscens contendit non potuisse nihil dicere poetam de sepultura, quod eo clarius intellegemus, si consideraverimus, quam diversos et natura et moribus per totam fabulam effinxerit fratres, alterum, Eteoclem, boni regis, alterum, Polynicem, omnium vitiorum exemplar, ita ut fieri non potuerit, quin Creon, Polynici sepulturae honorem denegandum censeret. „Itaque poetam, ut sibi in describendis tragoediae personis constaret, actionem in extrema fabulae parte ita conformasse apparet, ut Polynices mortuus, sepultura regis edicto aliquamdiu retardata, iustas debitasque lueret delictorum poenas. Aeschylus, ut qui ipse optimus civis esset, id primum sibi proposuit, ut legum civitatis iusta haberetur ratio; iam vero postquam humanis legibus institutisque satisfactum est, cavendum esse putavit, ne sanctae deorum leges maiores illae atque graviores novis illis decretis impie infringerentur. Itaque sub finem fabulae Antigonam ita inducit, ut divinas leges admirabili sua pietate defendere et sic deorum ipsorum quasi causam agere videatur. Adde quod hoc assecutus est, egregius poeta, quod mihi quidem gravissimum videtur, ut spectantium animi tanta scelerum fatorumque atrocitate com-

moti tranquilliore tragoediae exitu placarentur ac sedarentur."

Quae cum disputavit, Waldeyer idem passus est, quod multi alii ante eum; non enim rationem habuit consilii, quod Aeschylum hac trilogia persecutum esse statuimus. Quod si recte, ut debuit, respexisset, non dixisset Aeschylum, ut qui ipse optimus civis esset, eam potissimum ob rem, ut legum civitatis iustam rationem habitam esse demonstraret, praeconem illum induxisse, qui vetaret Polynicem sepeliri, neque si huius ideae rationem habuisset, cum hoc iusso promulgato legibus divinis quam maxime obstreperetur, Antigonam eam ob rem in scenam prodire contendisset, ut hoc certamen inter ius hominum deorumque fas ortum sedaret; nam cum fratribus occisis id quod Aeschylus hac trilogia tractandum sibi sumpserat, perfectum et absolutum esset, ne cogitari quidem potuit de tali legum et iuris certamine, quale W. fingit. De eo autem, quod non potuisse nihil dicere de sepultura poetam putat, iam pag. 23 dictum est contra Krusium; sepulturam autem re vera futuram esse, versu 1002 sqq. paucis illis Antigonae et Ismenae verbis multo clarius et dilucidius significatur, quam extremae illius scenae turbulenta rixa. Cave enim cum Waldeyero putes Antigonam eam ob rem inductam esse, ut iuris divini collisionem illam cum legibus ab hominibus datis exstingueret, immo exeunte illa scena de certaminis illius compositione ne cogitari quidem potest; hominum leges et praescripta a Deo nobis infixa quam maxime inter se opponuntur, altera ex parte praecone et Ismena, altera ex parte Antigona inductis; quae oppositio spectantibus eo gravior et fortior debuit videri, quod ne chorus quidem, qui ceteris in fabulis unanimo semper ore loquitur, hac in tragoedia

inter se consentit, sed ipse actioni quodam modo interest; quod hac una in tragoedia, quod quidem sciam, non omnes choreutae in eandem abeant partem, sed altera alteri parti se opponit, altera Ismenam, altera Antigonam sequitur.[9]) Hoc profecto tranquilliorem exitum non sapit, qualis v. 1002 existit; sed talis fere est tranquillitas, qualis ante tempestatem maximam oriri solet. Denique verbo id quoque monendum videtur illud „Creo, qui Eteocli regno successerat“ a Waldevero confidentius dictum esse, quam par est. Creo enim neque in hac tragoedia neque in duabus antecedentibus locum habuisse videtur. Nusquam ne levissima quidem eius mentio iniecta est; et potuit optime illo Aeschylus supersedere, si verum est, quod saepius diximus nihil aliud poetam spectare nisi ut Labdacidarum, Laii, Oedipi eiusque filiorum sortem spectandam proponat; praesertim cum ex Aeschyli more sit nulli, quae superflua videri possit, personae partes aliquas in scena agendas tribuere. Recte hac de re Hüttemann l. l. p. 41 „Es ist ja kein Kreon da, der so eifersüchtig um das Ansehen seiner neuen Herrscherwürde besorgt wäre, dass er ein vorschnell erlassenes Verbot mit eigensinniger Despotenstrenge aufrecht zu halten suchte.“

[9]) Haec contra Hüttemannum quoque disputata sunt, qui l. l. p. 11 sq. perversissima de hac chori divisione profert: „ . . . . . so ist dabei an eine feierliche Scheidung in zwei Parteien nicht im entferntesten zu denken. Diese Teilung hat zunächst den künstlerischen Zweck, den Schluss dialogisch zu gliedern. Sie entspricht aber auch der Lage der Dinge auf's Beste, indem sie noch einmal die verschiedene Stellung der feindlichen Brüder zur Stadt zum Ausdruck bringt und gewissermassen als ausgleichendes Gegengewicht der grösseren und geringeren Schuld den Liebesmut der Jungfrauen nach zwei Graden abstuft.“ (!!)

Iam quis nominet illam scenam cum Frevio Aeschyl. Stud. pag. 62 „einen herrlichen Schluss“ et persuadeat sibi: „Nach aller der Hast und Verzweiflung und Zerstörung dieses Dramas „des Ares voll“, wie Aristophanes sagt, ist die Wirkung dieser neuen Gedanken um so grösser.“

Sed accedunt ad hanc causam gravissimam, quam inde a pag. 11 sqq. exposuimus, causae nonnullae, leviores illae quidem per se, sed in unum coniunctae ipsae quoque iam satis momenti et ponderis habentes; quarum primam afferam illam, cuius mentionem fecit primus Hermann, quamquam ille non dubitavit, quin haec scena ab Aeschylo profecta sit. Dicit autem in libro Euripidis Phoenissae rec. G. Hermann (Lipsiae 1840) Praefat. pag. VIII:

„Neque infitior etiam fabulae, quam Aeschylus fecit, compositionem habere, quod merito vituperari debeat, etsi aliquid ei excusationis a tempore paratum est, quo per ipsum ars tragica primo ab rudibus initiis ad maiorem dignitatem evecta est novisque inventis amplificata. Atque haud scio an ipsis in Sept. ad. Theb. primum ausus sit, duobus, quibus tum utebantur actoribus, adiungere tertium, quod cum alii auctores atque ipse Aristoteles ab Sophocle institutum tradiderunt, non videtur horum testimonio repugnare, si, quod Aeschylus in extremis Sept. ad. Theb. necessitate coactus fecerat, ita suscepit Sophocles, ut pro legitimo uteretur.“ Latius ea de re disseruit Bamberger (Opusc philol. Lipsiae 1856 p. 172), cui quo tempore disputationem illam composuit, nondum nota erat didascalia; declarare enim conatur, qui factum esse possit, ut tres in scenam actores Aeschylus produxerit. Atque tres causas excogitari posse dicit; unam Septem exeunte

Aeschyli aetate actam esse, cum iam ut in Choephoris factum videmus, tribus uteretur actoribus; quod ipse reicit neque profecto nos, qui didascaliam novimus, statuere ullo modo poterimus: alteram tres actores in scenam producere Aeschylum omnino evitasse; cogitari enim posse anapaestos chori ducis, quibus invitaverit, ut fratres ad sepulcrum prosequantur, excidisse: qui cum recitati sint Ismenam de scena abiisse et paulo post actorem illum praeconem repraesentaturum apparuisse.

Sed hanc contra causam, quae Bambergero verisimillima videtur, non modo id animadvertendum est, quod ille ipse iam dicit, nullam causam esse, cur Ismena de scena abeat, sed etiam id omni vi et gravitate pronuntiandum est necessario postulari ut Ismena quoque in scena adfuerit, quo magis summa Antigonae populi imperiis constanter resistentis fortitudo et nobilis animus eluceat et efferatur: nam ea de re nihil dico mirum videri debuisse spectantibus, eam, quam modo gravissimo maerore occupatam et oppressam viderant, iam subito abscedere neque iterum apparere.

Tertiam denique causam, quam Bamberger affert, παραχορήγημα hoc loco statui posse, ipse satis copiose et recte reicit.

Atque cum hi viri docti excusare quam damnare maluissent, iam exstiterunt, qui ob illam ipsam trium actorum in scena praesentiam hanc scenam ab Aeschylo abiudicarent; quorum primus Bergk fuit in praefat. ad Sophocl., et Westphalium secutus Oberdick; qui in libri de exitu fabulae Aeschyleae, quae Septem adv. Thebas inscribitur commentatio (Gymnas. Progr. Arnsberg 1877) p. 16 haec dicit:

Quo planctu tragoediam ad exitum esse adductam primus docuit Westphalus per occasionem exercitationum

criticarum, quas in societate philologica per hiemem a. 1858 Vratislaviae instituit. Quam sententiam licet in Prolegomenis non protulerit, tamen dubium esse non potest, quin tum temporis de hac re recte iudicaverit vir doctissimus. Nam ut omitttam etiam Persarum exodium, quam fabulam paulo ante actam esse constat, simmiliter conformatum esse, neque Aeschylum, quo tempore hanc tragoediam scripsit, tertium actorem in scenas admittere potuisse patet neque eum tales res enarrare voluisse, unde novae rixae novaque bella oritura erant." Contra hanc Westphali eiusque asseclae Oberdickii sententiam Hüttemannus acerrime pugnavit l. l. p. 63: quod eo magis mirum videtur, cum quae p. 36 sqq. disputat perlegenti nostram fere sententiam videatur probare nihil in exitu dici aut agi debere, quod futurarum rerum sollicitudinem et timorem spectantibus inicere possit. Dicit enim, nam liceat mihi ipsis eius verbis uti, quo melius cognoscatur, quomodo ille contra se ipsum pugnare videatur p. 36 l. l.: „so bleibt jeder Gedanke an neue Gefahren, die jenseits des Planes dieser Trilogie liegen, ausgeschlossen. Der Ausgang ist ohnehin erschütternd genug: da wäre es nicht wohlgethan noch Sorge und Angst um die weitere Zukunft hineinzuziehen. Vielmehr liegt gerade in dem tröstlichen Vertrauen, dass nun endlich der Zorn der Götter durch wörtliche Erfüllung des Orakels besänftigt sei, das Versöhnende des Schlusses." Et p. 37 haec fundit: „Wichtig für die richtige Würdigung des Schlusses ist die Beobachtung, dass nach dem Gefühl des Chors, sowie auch des Boten der Anspruch der beiden Brüder auf ihren Anteil an der Vätergruft in heimatlicher Erde keinem Zweifel unterliegt." Et ibidem: „Solche Worte (dicit. v. 960) weisen unverkennbar auf einen Schluss hin, der trotz der er-

schütternden Tragik nach allen Seiten versöhnen soll. Alles schlimme, was die Brüder andern, wie sich selber angethan, soll nun mit ihnen begraben sein. Alle Schuld ist gebüsst, alle Feindschaft geschlichtet im Tode. Sie haben ihr und ihres Geschlechtes Schicksal erfüllt. Der Fluchgeist ist befriedigt". Iam vero inde a p. 40 contra Oberdickium et Westphalum pugnans primam quam Westphal protulit causam Persarum exodium, quam fabulam paulo ante actam esse constat, similiter conformatum esse, ne ipsi quidem auctori satis probatam esse putat; neque omnino similitudinem ullam inter Persas et Septem intercedere, cum haec fabula extrema, illa media trilogiae alicuius sit. Quod recte quidem ille adnotat (cfr. quae dixi p. 43).

Iam vero multo minus mihi probatur, quae contra alteram Westphali causam affert. Aeschylum, quo tempore hanc tragoediam scripserit, tertium actorem nondum in scenas admittere potuisse. Ex annorum enim computatione, qua Oedipodeam Ol. 78, 1 actam, primam victoriam a Sophocle Ol. 77, 4 reportatam esse efficitur, concludit Aeschylum unius anni spatio interiecto, quod novum in scenam induxisse Sophocles dicitur, tertium actorem sibi assumere et in suum convertere usum potuisse, cum in Orestia quoque tertium actorem non repudiaverit. Sed ut nihil ea de re dicam, quod parum verisimile videtur, Sophoclem iam in primis, quas egit fabulis, tribus actoribus usum esse, id certe praefacte negandum censeo Aeschylum tam parvo intervallo intermisso hoc novum suum quoque fecisse, qua de re Roehleke l. l. p. 28 recte dicit, Orestiam trilogiam, in qua tres actores partes agant, decem annis post Septem actam esse; ac ne in illa quidem tertio actori magnas partes tribuisse poetam, sed Pyladem paucissimos versus dicentem facere,

ita ut verisimile sit, novi aliquid id fuisse et nequaquam rem decem annorum usu iam consuetam. Si vero non modo trium actorum praesentiam, sed etiam chori compositionem adhibere conatur Roehleke, ut adsutam esse hanc scenam demonstret. cum in l. l. p. 72 ita verba faciat:

„In scena illa, quoniam faciunt verba et chori dux et utriusque hemichorii duces, videntur esse choreutae quindecim, qui numerus propter certa tragoediae tempora vix potest tribui Aeschylo“, hoc argumento nos non usuros esse dicendum est; plane enim arbitrario modo hoc statuitur; quod cum Wecklein intellexisset, recte contra hanc sententiam in „Philol. Anzeiger“ vol. 13 (1883) p. 807 ita disputavit: „Der Chor geht in zwei Hälften geteilt ab. Es können also nicht Halbchöre von sieben Mann, neben denen der Koryphäos einen eigenen Platz einnahm, sondern nur Halbchöre von sechs Mann, deren einer auch den Koryphäos enthält, gewesen sein; denn wir werden nicht annehmen, dass mit dem einen Bruder sieben, mit dem anderen acht Choreuten abgezogen seien.“

Duodecim modo fuisse hac in tragoedia choreutas Chr. Muff quoque demonstrare conatus est (der Chor in den Sieben des Aeschylus Halle 1882) cfr. „Jahresberichte für die Fortschritte der klass. Altertumswissensch.“ vol. XXX. p. 121.

Neque tamen aliam causam, ut hac oscasione oblata statim absolvamus, quae de actoribus dici possunt, ipsam quoque a Roehlekio allatam l. l. p. 31 non probabimus, quae haec est:

„Quamquam et ipse Aeschylus, quod exemplis potest demonstrari, sic potuit personas producere, ut adventuras antea non significaret, tamen offendimus,

quod hoc quidem loco sic procedit praeco, praesertim cum propter proxima sororum verba prorsus non exspectetur ullius personae adventus."

Qua de re melius etiam Wilamowitz—Moellendorf in Analectorum Euripideor. (Berol. 1875) p. 200 sq. disputat, cuius verba ipsa quoque affero, sententiae nostrae haud leve adminiculum:

„Personas certo nomine destitutas non inducit Aeschylus nisi diligenter aut significatas aut descriptas; causa in propatulo est; sub ipsa enim tragoediae principia certae personae deerant, quae quotannis in scena spectatae indicationem supervacaneam redderent."

Quod iam aliis exemplis allatis in nuntio in Septem c. Thebas partes agente latius explicat. (versus adsciscens 39. 30. 41. 37.), ut demonstret, quam sedulus in eo significando Aeschylus fuerit.

„At more sequiore, pergit, veste tantum significatur praeco Septem 1005, quod me iudice nihil probat nisi speciosis, opinor, argumentis, quibus Thebanae fabulae exodus, quamquam dissentientibus gravissimis viris ab Aeschylo abiudicatur, novum addi nec leve illud argumentum."

Verum redeamus eo unde deflexit oratio, et iam illa proponamus, quae Hüttemann contra tertiam Westphali causam affert: „Aeschylum non tales res enarrare voluisse, unde novae rixae novaque bella oritura erant."

Contra quae Hüttemann sic disputat, ut primum illud nequaquam se negaturum dicat alicui arridere posse finem tragoediae ab iis verbis imponere, quibus filios in eodem atque patrem sepulcro sepultum iri indicetur, ut omnes, qui vivi inter se dissentiebant, mortui uno sepulcro comprehensi quiescerent. Sed usque ad v. 1002 illud nondum rem ratam esse, sed cogitatum

modo a chori miti placabilique animo profectum. Quod ut res rata evaderet, qua revera placatos esse omnes huius generis appareret, etiam a sororibus ipsis dicendum et constituendum fuisse.[10] Neque tamen illud fieri; sorores nihil facere quam lamentari et lugere neque quid consilii capiant, quid faciant satis certe scire. Quam ob rem causa extrinsecus petita opus fuisse, qua illae miseriae gravitate oppressae ad strenue fortiterque agendum revocarentur et commoverentur. Quod ut fieret praeconem inductum esse, qui vetito illo pronuntiato fratris amorem Antigonae excitaret, fraterno illi odio in tragoedia spectato optime oppositum; p. 41: „Nach jenem Trotz des Hasses war dieser Trotz der Liebe, der sich mit hehrer Begeisterung gegenüber den niederschmetternden Schlägen des Schicksals und allem, was noch drohen mag, emporrichtet, einzig geeignet einen versöhnenden, ja erhebenden Eindruck zu hinterlassen, das Grausen in Mitleid und Wehmut zu verklären.“[11]

Satis elegans defensio neque scirem profecto, quo me verterem quibusque adversarer his verbis perpolitis

[10] Quae pugnare videntur quodam modo cum illis, quae Hüttemann pag. 39 l. l. dixerat: „Antigone suchte eben nur den Polynikes, weil er nun einmal in den Augen der Welt mehr im Unrecht erscheint, möglichst von Schuld zu entlasten, damit beide Brüder gleichen Mitleids würdig erscheinen. Darum werden denn auch in den zwei folgenden Versen beide Brüder von beiden Schwestern mit gleicher Liebe und Trauer umfasst. Der Chor aber vollendet die versöhnende Vereinigung dadurch, dass er beiden ohne Unterschied neben dem Vater ihren Platz als letzte Ruhestätte ihrer Leiden zuspricht.

[11] His quoque verbis commiscentur eae animi affectiones, quae nos commovere solent cum iis, quae in veterum hominum animis inerant; quae commixtio iam saepius causa fuit multa perverse in Aeschyli fabulis statuendi; velut ea potissimum re Koechly commotus est, ut in exitu Persarum excidisse aliquid putaret.

atque bellis, nisi ipsa illa propositio, a qua haec Hüttemanni disputatio proficiscitur, falsa esset. Nequaquam enim illud sepeliendi cogitatum, quod iam ipsum per se satis superque aptum est terrorem et stuporem in misericordiam et maestum cum gaudio animum convertere, a choro modo pronuntiatum est; nequaquam sorores lugent modo et lamentantur, nesciae, quo se vertant: sed ipsae expressis verbis, ita ut nulla sit dubitatio, indicant finem θρήνων faciendum et ad sepulturam aggrediendum esse verbis illis, quae iam saepius laudavi, 1002 sqq. (cfr. p. 18). Eo loco chorus tacet, sorores solae pronuntiant certum constitutumque sibi esse fratres sepelire. Quid quod ne Hüttemann quidem (p. 41 sq.) negare audet scena illa adnexa nos quoque eodem modo quo chorum cura corripi fata nondum saevire desiisse, sed etiam in mulieres eius stirpis se convertere? Ille scilicet facile hunc angorem et timorem sedat atque comprimit praeclaris illis verbis: „Aber ebenso wie der Chor nach kurzem Kampfe seine furchtsamen Bedenken besiegt, so gewinnt auch bei uns alsbald die Begeisterung die Oberhand, welche das edle Werk der Schwesterliebe begleitet.“ Quae doleo, quod ad chorum quidem attinet, non esse recta; nam vincit ille quidem dubitationes timore iniectas, at tamen ita vincit, ut res adversas ferendas, poenas a civitate decretas solvendas fore animum inducat; etiamsi non omni spe destitutus sit civitatem fortasse quod rectum sit et vere legibus divinis respondens, perspecturum (v. 1066—1071).

Denique ad quartam me vertam causam, ad dicendi genus, quod ab Aeschyli dicendi more et consuetudine saepius abhorret. Qua in re liceat mihi singulos versus percurrere eosque ita proponere, ut quid aut

mire aut falso aut Aeschyli vulgari consuetudini non convenienter dictum investigaverim adnotem. Atque etiamsi quis hac in re longius me processisse dicat, tamen in hac tanta mole et congerie verborum et dictionum mirabilium appariturum puto. hos versus non posse ab Aeschylo profectos esse. Neque id quidem negabo, multa, quae adnotabo, Aeschylum per se sine ulla offensione dicere potuisse; in unum autem congesta haec summam suspicionem movent.

Incipiamus igitur a v. 1005. Offendit me in praeconis oratione iam primum verbum tota oratione plus iusto repetitum; legimus enim v. 1005 *δοκοῦντα καὶ δόξαντα* (quae participii praesentis et aoristi coniunctio ipsa quoque displicet et Euripideam potius dictionem sapere videtur quam Aeschyleam), v. 1008 *θάπτειν ἔδοξε*, v. 1020 *δοκεῖ*, v. 1025 *τοιαῦτ᾽ ἔδοξε τῷδε Καδμείων τέλει.*

V. 1006 verbum *προβούλοις* legimus, quod apud Aeschylum alibi non invenitur. In eodem versu est: *τῆςδε Καδμείας πόλεως*, v. 1015 autem *ἀναστατῆρα Καδμείων χθονός*, v. 1025 *τῷδε Καδμείων τέλει*, v. 1026 *Καδμείων γε προστάταις*, v. 1075 *Καδμείων ἤρυξε πόλιν.*

Aeschylus non fluctuat inter has duas significationes, sed modo dicit *Καδμείων πόλις*, non *ἡ Καδμεία πόλις*, cfr. v. 9 *Καδμείων πόλει*, v. 531 *ἄστυ Καδμείων.*

V. 1007 *ἐπ᾽ εὐνοίᾳ χθονὸς θάπτειν.* Usus praepositionis *ἐπί* hoc loco mirus videtur; *ἐπὶ* enim cum dativo coniunctum aut localem significationem habet aut Latino „contra“ respondet, aut de tempore dicitur, ut latine „post“, aut in illis locutionibus adhibetur, quibus consilium aut effectus indicatur; hoc autem loco est: Senatui placuit Eteoclem sepulcro condi, quia pio animo fuerit in patriam. Cuius usus perpauca modo afferri possunt exempla ex Aeschyli tragoediis petita, neque illa

quoque omni ex numero satisfacientia, velut Suppl. 628: *Ζεὺς δ' ἐφορεύοι ξένιος ξενίου στόματος τιμὰς ἐπ' ἀληθείᾳ*, quo loco *ἐπ' ἀληθείᾳ* potius adverbii vice fungi videtur. Omnino autem non aptum est hunc ad usum tuendum exemplum illud, quod Dindorf affert, Choeph. v. 149: *τοιαῖσδ' ἐπ' εὐχαῖς τάσδ' ἐπισπένδω χοάς*, nam ibi est: ad has preces, quas feci, insuper has libationes infundo. In v. 1008 *κατασκαφαῖς* eodem modo, quo in v. 1037 *κατασκαφάς* non eandem vim habet, quam in aliis locis Aeschyli; hic enim proprio sensu dictum est, in ceteris Aeschyli exemplis significat eversionem: velut in Sept. 46: *πόλει κατασκαφὰς θέντες* et in Choeph. 50: *ἰὼ κατασκαφαὶ δόμων*.

V. 1009—1011 semper erant crux interpretum, qua de re Roehleke in l. l. p. 32. Versus enim ita traditi sunt: *στυγῶν γὰρ ἐχθροὺς θάνατον εἵλετ' ἐν πόλει*, ubi Wakefield (cfr. Ritschelii Opuscula I p. 710.) *στέγων* posuit, nonnulli codices utique interpolati *εἴργων* praebent. Certe etiam in *ἐν πόλει* vitium latet, quod nonnulli ita tollebant, ut *ἐν πύλῃ* aut *ἐν πύλαις* proponerent. Deinde recte offenditur in illo *θάνατον εἵλετο*: mortem vitae praetulit. Iam recte quaerit Roehleke, quid sibi velit illud: *στέγων γὰρ ἐχθροὺς θάνατον εἵλετ' ἐν πύλαις* „hostes propulsans in portis mortem maluit quam vitam.“ cum rex cum fratre pugnans iam non potuerit deliberare, utrum vitam mallet an mortem.

Non igitur recte et apto modo ille, qui scenam addidit, expressit quod voluit, idque ipsum libere pronuntiandum, non autem coniecturis locus temptandus est; quod fecit Weil, qui adscita codicum interpolatorum lectione *εἴργων*, ut sensui aptissimum, ita a tradita lectione prorsus alienum: *στέγων γὰρ ἐχθροὺς ὄλεθρον εἶργε τῇ πόλει* proposuit.

In v. 1010 *ὅσιος* cum genetivo coniunctum mirum esse, iam Roehleke monuit; cuius usus exemplum ut indagarem mihi non contigit; nam in Choeph. v. 378: *τῶν δὲ κρατούντων χέρες οὐχ ὅσιαι στυγερῶν τούτων*, res certe alia est.

Μομφῆς hoc modo versu occurrit, cfr. Prom v. 445.

In v. 1011 mirum videtur illud *οὗπερ;* mortuus est, ubi iuvenibus pulchrum est mori; exspectamus potius: eo modo mortuus est, quo pulchrum est. Iam dici, mortuum Eteoclem esse, ubi iuvenibus pulchrum sit mori, me offendit; potius de rege dicendum erat, mortuum eum esse ita, ut regem decet, pro patria fortiter pugnantem.

In v. 1013 gravissimum illud occurrit: „*τούτου δ'ἀδελφὸν τόνδε Πολυνείκους νεκρὸν ἔξω βαλεῖν ἄθαπτον*, in quo recte Roehleke in l. l. p. 33 Weilii coniecturam: *τόνδε Πολυνείκη λέγω* reicit; non enim mutandum est, sed hoc quoque loco confitendum eum, qui scenam addidit, male pronuntiasse, quod voluit; *νεκρὸν* autem non mutandum esse idem recte dicit, quod requiratur illud verbum propter insequentem versum; at „huius fratrem istum, Polynicis corpus, eicere", quis sibi persuadebit Aeschylum tali modo locutum esse? Balbutientis est oratio, non elati et facundi poetae.

V. 1015 *χθόνα ἀνάστατον ποιεῖν* usitatum esse dicendi genus nego; *ἔθνη* enim et *πόλεις* id pati possunt, non *χθὼν* ipsa; quam ob rem etiam *ἀναστατῆρα Καδμείων χθονὸς* (ubi facile ponere potuit ille, qui scenam addidit *πόλεως*; sed speciose dicta in deliciis habet, imitaturus nimirum Aeschylum) ab Aeschylo profectum nego, qui recte in Choeph. v. 303 dicit Graecos *Τροίας ἀναστατῆρας*.

V. 1019 *στράτευμ' ἐπακτόν* alibi apud Aeschylum non occurrit; in *ᾕρει πόλιν* autem non est haerendum; est enim imperfectum de conatu: conatus est urbem expugnare.

De versuum 1015—1019 conformatione in universum Roehleke disputavit, sobrio et sano iudicio usus l. l. pag. 32:

„Neminem potest fugere, quam infirma sint *οὓς ἀτιμάσας ὅδε στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ᾕρει πόλιν* post verba fortissima *ὡς ὄντ' ἀναστατῆρα Καδμείων χθονός*." Tamen hoc quoque loco mutavit Weil. pro *ὅδε* scribens *ἔχει* et insequentem versum interpolatum pronuntians: *οὓς ἀτιμάσας ἔχει* [*ὅδε*] [*στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ᾕρει πόλιν*].

V. 1022 *χειρώματα* legitur, quod in Agam 1326: *δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος* plane alium sensum habet; est enim ibi *χείρωμα* res subacta, hoc autem loco mire dictum esse recte Dindorf dicit de eo, quod manu offertur; scholiasta recentior explicat: *τὰ διὰ χειρῶν ἐργαζόμενα*. Occurrit hoc verbum etiam in Sophoclis Oedipi Tyr. v. 560, eadem qua in Agam v. 1326 significatione.

V. 1023 *ὀξυμόλποις προσσέβειν* utrumque verbum hoc modo loco legitur; nullus alius scriptor eis utitur: explicat scholiasta: *ὀξυτάτοις θρήνοις*.

V. 1025 *τέλος* apud Aeschylum munus, potestatem significare potest, de magistratibus autem, quem usum frequentissimum fuisse apud Atticos scriptores nemo nescit, non adhibetur nisi hoc ipso loco.

Idem cadit in v. 1026 *προστάτης*, quod ubi occurrit Sept. 408. 798 Suppl. 963 defensorem, tutorem significat, non autem ut vox magistratuum propria dicitur, quod Athenis postea factum est.

In v. 1027 sqq. moleste ferimus ter repetitum *θάπτειν*; habemus: *συνθάπτειν*, *θάψω*, *θάψασ'*, praeterea in v. 1028 mire dictum *κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ* pro usitato: *κίνδυνον ἀναῤῥίπτειν* (Herod. VII 50. Thuc. IV 95; VI 13); cuius usus vestigia alia non exstant.

V. 1033 *ἄκοντι* de mortuo dictum quid sibi velit, non intellego, quamquam Roehleke l. l. p. 23 quodammodo explicare illud conatus est.

In v. 1035 *κοιλογάστορες* ex versu 496 sibi sumpsit ille, qui scenam addidit; ubi tamen alio sensu vox usurpatur.

In v. 1036 *λύκοι* cadaver Polynicis devoraturi dicuntur, quod alibi Aeschylus canes facere dicit. *σπάσονται* (Med. . . *πάσονται* ex *σπάσονται* ut videtur factum, cum glossemate *γεύσονται*) hoc modo loco de cadavere distrahendo dicitur; in Agam. v. 333 de sorte usurpatum est; in Choeph. v. 533 de bibente; in prioribus Aeschyli fabulis vox omnino non obviam fit.

In v. 1040 *μηδέ τῳ δόξῃ πάλιν*, *πάλιν* est „contra"; ceteris in Aeschyli locis aut „retro" aut „rursus" i. e. „iterum" significat.

In v. 1041 *δραστήριος* est *ἅπαξ εἰρημένον*; occurrit apud posterioris aevi scriptores, velut in Eur. Hel. v. 998 Jon. 1185; Thucyd. IV 81, II 63; quem locum afferam, cum, quid significet vox, optime illustret: *τὸ γὰρ ἄπραγμον οὐ σῴζεται μὴ μετὰ τοῦ δραστηρίου τεταγμένον, οὐδὲ ἐν ἀρχούσῃ πόλει ξυμφέρει, ἀλλ' ἐν ὑπηκόῳ, ἀσφαλῶς δουλεύειν.*"

V. 1042 sq. *αὐδῶ* est: iubere; ceteris in locis Aeschyleis simpliciter est: loqui (velut Agam 39. Prom. 948).

In v. 1045 *τραχύνω* (quod posterioribus temporibus usu tritum est verbum) invenimus singulari significatione:

asperum aliquem dicere, secundum scholiastae explicationem *λέγε πολλάκις ὅτι τραχὺς ἔσται ὁ δῆμος, ἀλλ' ὅμως οὐκ ἀναστείλῃς με θάψαι.*

In v. 1047 illud, quod maxime vexavit interpretes, occurrit: *διατετίμηται.* Multi multa protulerunt; explicationes, coniecturas varias, quae omnes non satisfaciunt; aut hoc quoque loco balbutit, qui scenam addidit, aut verbum corruptum est, quod minus verisimile videtur.

V. 1051 *ἔρις περαίνει μῦθον ὑστάτη θεῶν* non cum Dindorfio spurius habendus est, sed recte se habet, etsi hic quoque paulo obscurius ille, qui scenam addidit, loquitur.

V. 1053 *αὐτόβουλος* alio loco non invenitur, neque apud Aeschylum, neque apud alios scriptores.

Iam venimus ad anapaestos illos, quos dux chori et duces hemichoriorum pronuntiant. Quorum quae sit dictio antequam accuratius examinemus, id adnotabo, etiam ex horum anapaestorum misera forma et qualitate causam proficisci huius scenae ab Aeschylo abiudicandae. Quam rem ita copiose et diligenter Roehleke p. 28 sq. l. l. tractavit, ut supersedere possimus labore, ea, quae disputavit, repetere. Ille enim omnium Aeschyli tragoediarum, quae exstant, fine examinato et in medium prolato recte dixit, Aeschylum subicere solere tragoediis exitus non modo arcte cum iis cohaerentes, sed etiam tota indole splendidos. Hac autem in fabula non anapaestos modo laborare, sed etiam totam exodii indolem nequaquam Aeschyleam illam sublimitatem grandeque ingenium sapere. Iam ad singula me convertam.

In v. 1054 *φθερσιγενεῖς* legitur de Furiis dictum, quod vocabulum nullo alio loco invenitur. Scholiastes explicat *αἱ ἐπὶ τῷ φθείρειν γεγονυῖαι,* qua in re misere

errat; dicuntur enim Furiae non ad perdendum natae, sed genus (sc. Labdacidarum) perdentes:

V. 1055 *Κῆρες Ἐρινύες*; quam compositionem apud Aeschylum quidem frustra quaeres, qui ceteroquin vocabulo *κὴρ* ita utitur, ut sit pernicies; velut in Sept. 777 de Sphinge; vel Agam. v. 206.

V. 1056 *πρέμνοθεν* qui scenam adnexuit, ex hac ipsa fabula sibi sumpsit; in qua sola occurrit v. 71.

V. 1060 *ἀποτρέπομαι* (aversor) hoc modo loco obversatur; *ἀποτρέπω* (averto) etiam aliis locis (velut Suppl. 880. 891. 900).

V. 1061 *δεῖμα πολιτῶν* non loco movendum, sed cum Schützio de terribilibus civium minis intellegendum est, etsi structura *ἀποτρέπομαι δεῖμα πολιτῶν* aliqua ex parte laborare videtur, quod his in versibus saepius accidit; Meineke ad Sophocl. Oed. Colon. p. 251 voluit *λῆμα*.

In v. 1064 *μονόκλαυτον* vox est semel modo apud Aeschylum occurrens.

In v. 1065 *εἶσι* de mortuo, qui effertur ad sepulcrum, satis mirum est.

In v. 1067 *δράτω* [*τι* addidit Elmsley] *πόλις ἢ μὴ δράτω τοὺς κλάοντας* constructio est, quae hoc modo loco in Aeschyli fabulis exstat; eodem modo, quo coniunctio illa *ἄλλως ἄλλοτ'* in v. 1070 et vox *ξυνεπαινεῖ* v. 1073.

In v. 1072 verbum omissum molestias mihi affert: *ἡμεῖς δ' ἅμα τῷδ'* . . . . . .

In v. 1074 distinctio illa inter deos et Iovem, qui ipse est in deorum numero, singularis est: *μετὰ γὰρ μάκαρας καὶ Διὸς ἰσχύν*.

In v. 1075 *ἤρυξε* vox nullo alio loco obviam facta legitur; idem cadit in *κατακλυσθῆναι* versus 1077; cuius versus verba *κύμασι φωτῶν* admonefaciunt v. 64 et 113.

Iam paene ad finem disputationis perveni meque his, quas attuli causis evicisse puto, hanc scenam nullo modo ab Aeschylo ipso scriptam esse.

Duo modo restant commemoranda; alterum, quod iam obiter tetigi, ut causam afferam, qua quis commotus hanc scenam adiecerit. Haec autem in Sophoclea Antigona posita est. Nam eos, qui Antigonam legebant, fugere non potuit mira illa diversitas, quae inter Aeschyli et Sophoclis fabulas erat; ad quam tollendam optime fieri potuit, ut hanc scenam aliquis adsueret. Non igitur iam cum Schneidewino (Philol. vol. III p. 363) dicere poterimus, Sophoclem hac extrema Aeschyleae trilogiae scena commotum esse, ut Antigonam componeret, sed contendemus hanc ultimam scenam additam demum esse post Antigonam in scena actam, ut Aeschyleae tragoediae adderetur, quod deesse nonnulli perverse credebant.

Alterum hoc est. Fabulam in verbis *ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον* optime subsistere potuisse, nemo iam negabit. Nam sorores postquam cum chori virginibus conquestae sunt fratres, dicunt se eos prope patrem sepulturas[12])

---

12) Mirum in modum Welcker haec verba ita interpretatus est (Nachtrag p. 153 sq.): „Mit Recht sagt Blümner S. 29: Wenn aber Oedipus im Auslande gestorben ist, wie konnten die Schwestern die Brüder neben dem Vater begraben wollen? Dieser Widerspruch ist hier durchaus nicht zu ertragen und durch nichts aufzulösen. Das gewichtige Schlusswort der Ismene kann daher in seinem nächsten und eigentlichen Sinne nicht verstanden werden, sondern etwas anderes muss darin versteckt liegen. Antigone sagt vorher: Wehe! wohin legen wir sie zur Ruhe? Wehe an den ehrenvollsten Ort. Sie meint also das schon erwähnte königliche Familienbegräbniss. Entweder nun versteht Ismene *πατρί* nicht buchstäblich; kläglich sind sie zum Vater gebettet, sind in des Vaters Grabwohnung, wo er eigentlich sein sollte, und dann ist ausserdem auch

esse et iam abscessurae fingendae sunt, ut faciant, quod sibi proposuerant, prosequente illas choro.

Haec autem scena deesse nec potest nec debet, quod moneo propter Bergkium, qui cum in Philol. vol. XII p. 578 (cfr. etiam Griech. Litteraturg. von Th. Bergk. vol. III. Berlin 1884 p. 304) proposuisset finem non ab Aeschylo profectum esse, ea in re erravit, quod inde a v. 961 omnia, quae sequuntur, ab illo abiudicat. Qua in re refellenda operam non consumam, cum iam recte fecerit Roehleke in l. l. p. 29 sqq.

Id unum dubitanter profero, possitne recte statui, eum, qui extremam scenam addidit, chori carmen anapaesticum recidisse, quod hoc loco quasi necessarium videtur esse.

Nam si quis ad Persas recurrat (velut Oberdick cfr. p. 30) et ea quoque in fabula finem non chori carmine effici dicat, illic res aliter se habet. Persae enim media trilogiae fabula sunt neque ibi tam gravi exodo opus esse videtur, cum tertia tragoedia subsequatur (cui rei testimonio Agamemnonis quoque exodium est

---

πῆμα für die Personen gebraucht, hart und sonderbar, oder man muss annehmen, dass πάρευνον uneigentlich steht in Beziehung zu πῆμα, Unglück, aber mit Anspielung auf das von der Antigone erwähnte natürliche Grabmal. Der Sinn der Rede wäre also vollständig dieser: Wenn sie nicht selbst neben dem Vater im Grabe gebettet worden, so ist ihr Unglück neben ihn oder das seinige gebettet, ihm nahe gerückt; durch das Unglück wenigstens sind sie vereint. Das Beiwort an sich ist zum uneigentlichen Gebrauch so wenig geschickt, dass der Hörer hierdurch selbst veranlasst wird, die Vergleichung aus dem Vorhergehenden zu ergänzen.“ Vides iam nequaquam superfluum fuisse, quae docti viri diversa de trilogiae connexu sibi finxerint, enumerare, cum ex illis modo rebus saepe comprehendi possit, qua re commoti sint ut de nonnullis, quae in Septem. c. Th. fabula ipsa fiunt aut dicuntur, perverso modo iudicarent, ut hoc loco Welckerum fecisse vidimus.

trochaicis tetrametris compositum); Septem autem ultima trilogiae fabula sunt mirumque videri possit, eam ex sororum planctu, choro iam a v. 961 tacente, finem capere. In Eumenidibus quidem finis ille toti trilogiae impositus gravis et dignus est; non tamen summa fiducia contenderim hoc quoque loco eodem modo id fieri debuisse; monere modo volui. statui posse aliquo modo, verum et genuinum tragoediae exitum, ab illo, qui scenam adnexuit, recisum esse.

Sententiae controversae.

1. Earum, quas Th. Kock in Hermae vol. XX pag. 288—311 protulit emendationum Aeschylearum, stare ne una quidem potest.
2. Aeschyli Agam. v. 1164 sq. codex Medic. recte exhibet:

   πέπληγμαι δ' ὑπὸ δήγματι φοινίῳ
   δυςαλγεῖ τύχᾳ μινυρὰ θρεομένας.

3. In Aeschyli Sept. c. Theb. v. 481 sqq:

   βακχᾷ πρὸς ἀλκὴν Θυιὰς ὡς φόβον βλέπων
   τοιοῦδε φωτὸς πεῖραν εὖ φυλακτέον.
   φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται.

   non modo in primo v. cum Cantero *φόνον* pro *φόβον* scribendum, sed etiam in tertio *φόβος* in *φόνος* mutandum videtur.
4. Ciceronis Orat. pro Cn. Plancio cap. III §§ 6—8 non ab ipso Cicerone scriptae videntur.
5. In Taciti Annal. L. IV c. 69 codicum scriptura: Non alias magis anxia et pavens civitas, e g e n s adversum proximos“, in **verens** adv. pr.“ mutanda est.
6. In Senec. Epist. XIV 33: Haec omnia Liberalis nostri adfectum inclinant, adversus **sua** (sic codd. et A et B apud Buechelerum) firmum et erectum“, retinendum est; nec aut cum Lipsio in: „adversus **sueta**“ aut cum Buechelero in: „adversus **singula**“ mutandum.
7. In incerti auctoris carmine, quod inscribitur „Culex“ versus 46 cum Scaligero sic est legendus:

   Lucida (codd. **lurida,** Haupt: **rorida**) qua patulos velabant gramina colles.

8. In Aelii Spartiani vita Hadriani cap. 16 (scriptt. hist. Aug. ed. H. Peter[2] 1884 vol. I p. 18) in carmine:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos,

legendum esse censeo:

Pulices pati rotundos.

9. In Catulli carm. 93:

Nil nimium studeo Caesar tibi **velle** placere,

non in „**belle**" mutandum est.

Vita

Natus sum Johannes Koenigsbeck die VI mensis Ianuarii a. h. s. LXIV in oppidulo Borussiae Orientalis Braunsberg, matre Bertha de gente Schumacher, patre Maximiliano, qui gymnasio regio Weiroviae (Neustadt W/Pr.) praeest. Fidei addictus sum evangelicae. Autumno a. 72 gymnasium Conicense adii, inde a. 77 Ratiborense. Maturitatis vero testimonium vere a. 83 in oppido Borussiae Occidentalis Strasburg adeptus sum. Eodem vere in numerum civium Universitatis Berolinensis receptus per octies sex menses scholis interfui virorum doctissimorum Curtii, Deusseni, Dielsii, Diltheyi, Hübneri, Geigeri, de Gizyckii, A. Kirchhoffii, Lassoni, Paulseni, Roedigeri, Schereri, Schmidtii, Vahleni, Weberi, Zelleri. Ad exercitationes benigne aditum mihi permiserunt philologicas: Diels, Hübner, Vahlen, epigraphicas A. Kirchhoff, theodiscas Rödiger. Seminarii regii philologici sodalis fui per quinquies sex menses. Quibus viris, imprimis A. Kirchhoffio et Vahleno, praeceptoribus dilectissimis, gratias ago quam maximas. Vere a. 88 examine pro fac. doc. feliciter superato, Gedaniam me contuli, ubi in seminarium regium paedagogicum a Carolo Kruse, viro clarissimo optimeque de me merito, receptus, primum docendi annum absolvi in gymnasio urbano, quod v. doctissimus insigni animi comitate Carnuth moderatur. Inde a vere a. 89 eadem in urbe stipendia annua merui. Nunc me tenet gymnasium Stargardense Borussiae Occid., viri humanissimi Wapenhensch auspiciis florens; qua in schola magistri vicarii partibus fungor.